



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

IX. Gregorius septimus ferre non potuit hunc investiturarum usum. Itaque eum prohibuit in variis Conciliis. Primus autem omnium, ut adnotat Vvillelmus & Malmesburiensis, Episcopos excommunicavit, si ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

hunc regnarunt. Illud fanè certum est, Imperatores ante Gregorij septimi tempora eoque iure usos fuisse, & tradidisse investituras per annulum & baculum, idque ante consecrationem, non solum in Germania, sed etiam in regno Italiae & in Arelatenſi, eoque iure in regnis suis usos esse Reges Francia & Angliæ. Quare Matthæus Parisius refert Regem Edvardum, qui ante Gulielmum Conquestorem vivebat, virgam episcopalem dedisse Vllstano Vigornienſi Episcopo. Ivo autem Carnotenſis Episcopus de se scribit in epistola octava sibi vim quodam modo factam ut episcopatum acciperet, Clericos ipsum Regi præsentasse, hunc verò sibi tradidisse pastoralis virgam: *Cum Clericorum primò ingenio, inquit, postea violentia, Regi fuisset præsentatus, & inde cum virga pastoralis à Rege mihi intrusa ad Ecclesiam Carnotenſem adductus.*

IX. At Gregorius septimus ferre non potuit hunc investiturarum usum, quòd is Episcopos Principibus nimium obnoxios esse cogeret, atque adeo minus subjectos esse faceret apostolicae fedi. Itaque illum deinceps prohibuit in variis Conciliis, arrepta occasione abusus Henrici quarti Imperatoris, quem fama erat investituras infamibus tantum personis dare, aut iis qui dato pretio illas emebant. Adnotat Vvillelmus Malmesburienſis primum omnium Gregorium septimum excommunicasse Episcopos electos, si à manu laica investituram Ecclesiarum acciperent per baculum & annulum. *Hic quod aly misſitaverant, inquit, palam extulit, excommunicans electos qui investituras Ecclesiarum de manu laici per annulum & baculum acciperent.*

Diserta porrò sunt Gregorij verba in synodo Romana habita anno millesimo septuagesimo octavo. *Quoniam \* investituras Ecclesiarum, inquit, contra statuta sanctorum patrum à laicis personis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo perturbationes plurimas oriri, ex quibus religio Christiana conculcatur, decernimus ut nullus Clericorum investituram episcopatus, abbatie, vel Ecclesie de manu Imperatoris vel Regis vel alicujus laice personæ viri vel femine suscipiat. Quod si præsumpserit, recognoscat investituram illam apostolica auctoritate irritam esse, & se usque ad condignam satisfactionem excommunicatum. Hæc prohibitio non solum adversus Episcopos, sed etiam adversus Reges, iterata est anno MLXX. in Concilio Romano. Hæc sunt decreti verba: Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet secularium potestatum, investituram episcopatum vel alicujus ecclesiasticae dignitatis dare præsumpserit, ejusdem*

Tom. II.

*sententiæ vinculo se obstrictum esse sciat.*

X. Ratio autem una hujus prohibitionis hæc fuit, quoniam Principes contendebant episcopatum vi hujus investituræ dari electo, cum tamen auctoritas episcopalis non pendeat à Regum gratia. Nam Gregorius ob eam causam, & ut odia univerſorum concitet adversus investituras, eas multoties nominat *donum episcopatus*. Et haud dubiè formulæ harum concessionum iis verbis conceptæ erant, quemadmodum supra adnotavi, ut viderentur Reges dare dignitatem episcopalem. Atque id eò magis probabile erat, quòd illa investituræ solennitas fieret per traditionem annuli & baculi. Baculus autem, signum erat auctoritatis pastoralis, ut inquit patres Concilij octavi adversus Photium in actione sexta: *Βακτηριὸν ἔστι σημεῖον ἀξίας ποιμαντικῆς.*

Altera prohibitionis Gregorianæ ratio petitur à statutis sanctorum patrum, ut aperte scribitur in ipso canone. Alludit autem ad canonem xxxii. ejusdem Concilij octavi adversus Photium sub Hadriano secundo celebrati. Quod colligitur ex epistola ejus ad Hugonem Dienssem Episcopum, Legatum suum, in qua ei præcipit ut synodum habeat apud urbem Lingonensem, in eoque conventu renovet prohibitiones factas Metropolitanis ne manus imponant eis qui donum episcopatus à laicis acceperint, sub poena privationis suæ dignitatis, Potestatis verò qui hæc deinceps usurpabunt poenam excommunicationis intendet, prout in Concilio octavo statutum est. *Nullus Metropolitanorum, inquit, aut quivis Episcoporum, alicui qui à laica persona donum episcopatus susceperit, ad consecrandum illum manum audeat imponere, nisi dignitatis suæ honore officioque carere ipse velit. Similiter etiam ut nulla potestas aut aliqua persona de hujusmodi honoris donatione vel acceptione ulterius se intramittere debeat. Quod si præsumpserit, eadem sententiæ & animadversionis censura quam beatus Hadrianus Papa in octava synodo de hujusmodi præsumptoribus statuit, se astrictum fore cognoscat. Canon porrò secundus itémque vigesimus Concilij octavi, in versione Anastasij Bibliothecarij, sancit juxta canones apostolicos neminem laicorum Principum vel potentum semet inferere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitanæ aut cujuslibet Episcopi. At Ivo Carnotenſis adnotavit canonem illum intelligendum esse de electionibus, non autem de concessionibus aut investituris, ut ostendam inferius §. xiv.*

XI. Nihilominus, sprete hac prohibitione, quæ adversus jura regia tentabatur, non solum Imperatores, sed etiam Reges

HHh ij

Vvllm. Mal. melib. de gelis Reg. Anglor. in Vvllimo i.

\*Vetus codex MS. S. Albini Andegavo. habet investituram

Gregor. 7. lib. 4. ep. 11.